COOKSON (W.)
Dissertatio Medica inauguralis
de Epilepsia. 1827

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

EPILEPSIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS D. COOKSON,
Anglus,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTR.
ET
SOCIET. PLIN. EDIN. SOC. ORD.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXVII.



PATRUO SUO CARISSIMO

AMBROSIO COOKSON, M. D.

QUI LINCOLNIÆ,

JAM PER ANNOS FERE QUINQUAGINTA

REM MEDICAM EXERCUIT;

HOC OPUSCULUM QUALE SIT,

OB CURAM EJUS PATERNAM,

OB BENEFICIA INNUMERA A SE RECEPTA

ET NUNQUAM OBLIVISCENDA,

QUASI TESTIMONIUM ANIMI GRATI,

SACRARE VOLUIT

AUCTOR.

[The] Rev^d. Chas Clapham
with the author Comp^ts

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

EPILEPSIA.

Ex omnibus morbis quibus generis humani sors est inquinari, nullus fortasse plus observantiæ, omnibus ævis, et inter singulos ordines hominum, quam ille, cui nomen Epilepsia sibi vindicavit.

Veteres, et imprimis Græci, quasi religiose eam habuerunt; eandemque ira deorum immortalium illatam credentes, nomine Ἱερα νοσος, nuncupabant; auguresque vulgi credulitate abusi, hoc malo laborantibus levamen quibusdam formis exorcismi et illecebris sibi notis expectare licuisse

docebant. Hanc credulitatem cæcam intuitus, stultitiæ summæ cives arguit HIPPOCRATES, et consilia deorum immortalium esse sempiterna, et artificiis hominum inanibus non frustranda memorat.

Epilepsia, maximo illi GALENO notissima fuisse videtur; tres enim varietates recenset: sed in omnibus his cerebrum, vel proxime vel lege consortii, affici docet.

Inter Romanos hic morbus sub nomine Morbi Comitialis cognitus est, et eodem a CELSO "inter notissimos morbos" descriptus.

Quod ad vocabulum *Comitialis* pertinet, idem ex accessionibus frequentibus Epilepsiæ in comitiis accedentibus ortum esse, inter plerosque convenit; et hæc derivatio satis est accurata, quatenus calor, exercitatio, et præ omnibus affectus animi vehementes concionibus populi confertis inseparabiles, utpote causæ validissimæ excitantes in istis hominibus ad morbum proclivibus certissime multum valent.

Morbus Herculeus ab antiquis scriptoribus nonnunquam vocatus; ut alii volunt quia HERCULES huic morbo obnoxius fuit, sed fortasse a nixibus Herculeis ægri, paroxysmi vehementia agi-

tati, potius derivari potest. Multis aliis etiam hominibus morbus hic gaudet; sed hæc, quippe quæ nulli usui inservire possunt, reticere quam enumerare præstabit.

Nosologis recentioribus fere eadem classificatio placuit. SAUVAGESIUS et SAGAR in classe Spasmi, ordine Clonici generales; VOGELIUS in classe Spasmi, hunc morbum posuere. YOUNG inter Clonos, classis Paraneurysmi, locum dedit. GOOD in classe Neuroses, ordine Systatica; et CULLENUS in classe Neuroses, ordine Spasmi, posuere.

CULLENUS in tres species dividit genus Epilepsia. Hæ sunt,

1. E. cerebralis,—sine ulla causa manifesta adoriens, et sine aura prægressa.

2. E. sympathica,—sine ulla causa manifesta prægressa, autem sensatione aura vocata.

3. E. occasionalis,—ab irritatione manifesta adoriens, et sublata causa excitante evanescens.

DEFINITIO.

Inclytus ille CULLENUS Epilepsiam in verbis quatuor definivit: " Convulsio musculorum

cum sopore;" et hæc definitio, donec causa proxima inventa fuerit, nulli alii cedere potest; in hac enim est essentia morbi, et omnia signa in eodem conspecta.

HISTORIA.

Quamvis nulla ætas, sexus, temperamentum, nec status, ab accessionibus hujusce morbi est immunis, mares et juvenes quam fœminas et adultos sæpius adoritur. Sanguinei et divites, qui luxuriose vivunt, quam leucophlegmatici et pauperes, ad eum quoque sunt procliviores. Modus, quo accedit est diversus, et revera alius in aliis hominibus. In nonnullis, sine ullis signis prægressis, et hominibus valetudine optima gaudentibus, subito accedit; hi tamen humi jacentes convulsionibus diris torquentur. In aliis accessionem mox venturam prænunciant quædam signa; palpitatio nimirum, syncope, vertigo, dolor capitis, mens perturbata, vis reminiscendi imminuta; vultus invicem modo pallidus modo rubicundus, vel etiam lividus, scintillæ, nebulæ, strabismus; tinnitus aurium, interdum sapor injucundus, interdum

soni inusitati. In quibusdam exemplis spectra diversa, ut homines minaces ex humo surgentes; vultus alieni, vel familiarium jam diu mortuorum, animalia, monstra, cæteraque, conspiciuntur. Exemplum hujusmodi memorat Doctor FOTHERGIL in puella ægrotante, quæ simul ac scintillis se eum tectum videre conclamavit, ad humum epileptica concidit.

Sæpe adest sensus auræ frigidæ ex quavis parte remota caput versus serpentis; hæc aura ex artubus inferioribus sæpissime incipit. Haud multo post notas supra dictas conspectas, accessio miserum corripit. Ejulat horrendum, et, si pedibus institerit, ad humum violenter decidit. Convulsionibus statim corripitur totum corpus; musculis extremitatum et trunci corporis celerrime se vicissim contrahentibus et relaxantibus; digiti magna vi ad volam compressi; musculi faciei miris modis innumeris affectus animi teterrimos simulantes torquentur, oculi in orbitis suis volvuntur; pupillæ plerumque immobiles et dilatatæ sunt; os se aperit et claudit vehementer; lingua nunc extruditur, nunc retrahitur; et nisi cura adhibita, hæc vel excisa vel crudeliter lacerata est. Saliva ex ore sub forma spumæ expel-

litur; respiratio difficilis, et cita est; pulsus celer et debilis; fæces, semen, et urina magna vi ejiciuntur, inguine simul vehementer intenso; bilis quoque interdum evomitur, hoc autem omnibus nequaquam contingit.

Hæc signa brevi post tempore paulatim cedunt; respiratione simul pleniore, tardiore, et faciliore; pulsuque pleniore, et tardiore factis. Æger tunc in soporem profundum decidit, ex quo vel subito expergiscitur, vel quod sæpius fit, præteritorum statim ante oblitus; et factorum omnium inter accessionem haud conscius, gradatim resipiscit; quam finitam, sequuntur languor, lassitudo, capitis dolor, et maxima musculorum fatigatio: hæc autem post horas aliquot sæpe evanescunt.

Duratio et vehementia accessionis in fere singulis ægris maxime discrepant; et idem de intervalli diuturnitate dicere possumus. In quibusdam non nisi intervallis regularibus interpositis aggredi observantur; et SWIETENIUS enarrat aliquos sibi conspectos fuisse, quibus accessiones annui, alios bis quotannis, vere nimirum et autumno, alios singulis mensibus, alios quoque plenilunio, fuerunt. In plerisque autem hujus morbi exemplis, nulla hujusmodi norma observari

videtur. Propter vehementiam summam signorum, mortem jam in propinquo esse prima facie causa esset credendi. Hoc autem non fit; mors revera accessione jam perstante rarissime accidit, et multi epileptici senectutem attingunt. Si, tamen, accessiones sint vehementissimæ et frequentes, malis morte ipsa magis metuendis ortum sæpe præbent. Facultates animi multum dilabuntur; mens hebescit; spes omnis abjicitur; et æger, vel mania haud sananda, vel fatuitate prorsus immedicabili, corripitur.

DE CAUSIS.

Causa proxima Epilepsiæ in caligine densissima versatur, et fortasse diu latebit. De hac re Boerhaavius talibus verbis utitur:

"Patet quidem causam proximam omnis Epilepsiæ exquisitæ, semper esse nimiam cerebri in nervos motorios, nullam in sentientes, actionem." Hæc sententia autem magni viri nihil tenebrarum cingentium e causis summovet, et revera, nil nisi periphrasis est definitionis, "Convulsio musculorum cum sopore."

Cullenus, in opere nominato "First Lines of the Practice of Physic," de hac re sic loquitur: "With respect to the proximate cause of this disease, I might say that it is an affection of the energy of the brain, which, ordinarily under the direction of the will, is here, without any concurrence of it, impelled by natural causes."

Tales sententias, utcunque imperfectas utcunque mancas, scientia nostra hodierna functionum cerebri tantum sinit. Revera accidit quod multæ hypotheses, utpote lucem huic rei adlaturæ, in medium prolatæ fuerint; sed nonne satius est re ipsa qualem se habet contentis, quam theoriæ versutæ, quamvis splendidæ et blandæ, quæ nihilominus sit fallax et perniciosa, nosmet tradere?

De Causis prædisponentibus.—Ubicunque genus nervosum sit admodum mobile, proclivitas ad Epilepsiam adest; in illis enim hac idiosyncrasi præditis, res minimæ animum admodum commoveant. Ætas infantilis, propter impetum vehementem caput versus, cui hoc stadium vitæ est obnoxium; conformatio corporis peculiaris, v. c. collum breve, caput magnum, carotidæ amplæ,

utpote causæ prædisponentes insignes agunt. De causa posteriore observationes non solum in homine, sed etiam in belluis factæ sunt, psittacum enim et rubicillam, quibus forma hujusmodi attingit, ad morbum epilepticum proclives esse accipitibus bene notum est.

In corpore etiam plethorico, et præsertim si adsit debilitas, proclivitas ad hunc morbum insignis est.

In causis his enumerandis, labem hæreditariam haud præmittere licebit. Nonne enim in quibusdam casibus ex hac sola pendere videtur? et in aliis, quanquam patres sani fuerint, nonne in nepotes iterum conspicitur?

De Causis Excitantibus.—Causæ excitantes in illas quæ cerebrum ipsum vel stimulando vel debilitando afficiunt; et in illas quæ parti cuidam distanti applicatæ, cum illo per has communicantur, dividi possunt. Causæ cerebrum proxime afficientes, vires ejus inordinate stimulando, in tres classes haud inepte dividuntur. 1. Stimuli mechanici; 2. Mentales; 3. Stimulus distentionis.

Stimuli mechanici omnes injurias vi externa

cerebri illatas complectuntur: hujusmodi sunt, fracturæ calvariæ, spiculæ osseæ, membranas vel cerebrum ipsum lacerantes; morbi organici tabulæ interioris cranii, v. c. exostoses, malaformatio, &c.; vitia cerebri vel membranarum circumdantium; talia sunt, membranæ in os conversæ, ossificatio sinuum, tubercula, polypi, hydatides, &c. Præter hæc, haud raro ex aneurismate arteriæ alicujus, vel ex dilatatione ventriculorum ob excessum seri, pendere videtur.

Stimulis mentem afficientibus subjiciuntur omnes animi effectus entonici; veluti, ira infrænata, gaudium nimium, libido immodica.

Quidam inter accessionem hujus morbi intuendam; simili modo statim correpti fuerunt; an hoc horrori, an facultati imitativæ, tribuendum est?

Propensio ad imitandum homini insita vere mirabilis est; ante intelligentia menti suborta est prodit, et post facultates nostras nobiliores tempore evolutas, imperio gaudet. Causam hujusmodi validum "convulsionem musculorum" inducere, haud incredibile esse videtur; sed quomodo partem definitionis postremam, nempe "soporem" efficere valeat, non facile est intellectu. Exempla tamen nonnulla a medicis tradita sunt,

in quibus causam invenire non possumus, nisi hujus facultatis actionem agnoscimus.

Porro, viator recens* Kamtchatcadalas morbo quodam convulsivo cui nomen *Immerachism*, affici memorat. Species autem hujus morbi sic se habet, ut quodcunque ab alio aut factum aut dictum est, adstante ægro, ab illo sine voluntate, vel etiam se invito, statim repetatur. Pueros etiam, actiones ægrotantium dementes illudendo, nonnunquam in morbum verum concidere, idem enarrat viator.

Causæ quæ Epilepsiam, vasis cerebri præter modum implendis excitant, sunt præcipue, evacuationes diu solitæ subito suppressæ: hinc menstruorum suspensio cessatio fluxus hæmorrhoidalis, cessatio subita diarrhœæ longæ, et exanthemata repulsa, e. g. variola, rubeola, scabies, et eruptiones pone aures et ad capita infantum existentes.

Ad has adjicienda sunt,—ebrietas frequens, exercitatio immodica, calor nimius, aliaque similia.

---

* Vide Account of Baron Wrangel's Dog-keeper, in Cochran's Pedestrian Journal.

Hæmorrhagiæ profusæ, *collapsum* Cullenianum inducendo, hunc morbum infelicem excitare possunt; hoc in lanienis quotidie observare possumus: omnia enim animalia ibi jugulata epileptica moriuntur; hoc etiam spectare videtur HIPPOCRATES, in Aphorismo 9no sectionis 7^{mæ}, Ἐπὶ αἵματος ῥύσει παραφροσύνη ἢ σπασμὸς, κακόν. Eodem modo evacuationes omnes immodicæ et abnormes, e. g. venus nimia et hypercatharsis. Metus, horror, fastidium in gravi modo, et omnes affectus animi deprimentes, eadem ratione agere existimantur.

Ad illam causarum classem, quæ cuivis parti remotæ applicatæ, cerebrum per legem consortii afficiunt, nunc perventum est; ad illam pertinent distentio ventriculi a cibo, acria ingesta in ventriculum vel in intestina, vermes, calculi in meatibus urinariis, dentitio, sensationesve molestiæ vel voluptatis exquisitæ. Hujusmodi exemplum enarrat SWIETENIUS, ubi puella a nutrice titillata in convulsionibus decidit. Odores quosdam ingratos ad paroxysmos in epilepticis concitandos valere, antiquis bene notum erat. ARETÆUS enim quod bitumen ustum naribus

servorum in foro admovebatur, ad sanitatem eorum probandum, memorat.

Aura epileptica, quamvis indicium Epilepsiæ proprium, nequaquam omnibus contingit. Apud veteres ex verbis GALENI fuisse rarissimum inferre liceat. De fatuo annum tredecimum agente tamen loquitur, qui sensum cujusdam rei a se haud describendum, caput versus ascendentem, expertus est: "aliis autem," subjungit ille, "compos mentis, veluti frigidum aërem existere dicebat." Qui res curiosas in medicina temporibus recentioribus collexerunt, exempla plurima hujus auræ ex pede, pollice manus, ventriculo, et revera partibus corporis fere omnibus, surgentis recenserunt.

De ratione hujus signi minime inter medicos convenit; alii affirmantes idem in extremitate nervi originem ducere, alii cerebrum ipsum sedem esse primariam affectionis. Quoniam autem alia ex parte probatum est ligaturam ne hæc sensus propagetur prohibere, et alia eum cursum nullius nervi adhuc cogniti insequi, sed potius per integumenta serpere: adhuc sub judice lis est.

DE DIAGNOSI.

Diagnosis hujus morbi, pro rata parte, non est difficilis.

Ex Apoplexia, stertore absente, spasmis utrumque corporis latus pariter afficientibus, pulsu celeri, respiratione accelerata, spuma oris, et vehementia qua cum excretiones perficiuntur, discerni potest.

Ex Tetano et Trismo natura spasmi, qui in his tonicus est.

Ex Convulsione, sopore distinguitur. Morbus hystericus revera, in quibusdam exemplis propriis, Epilepsiam eo usque refert, ut ni signis sedulo et accurate perpensis aliquid periculi in errorem incidendi existat. Epilepsia, autem, ab Hysteria dignoscitur, sexu ægrotantis; absentia globi; et præsentia auræ. In hysteria functiones naturales multum turbatæ; animales, autem, minus quam in Epilepsia, namque vidit et audit, et omnia sentit ægrotans; pupilla luce contrahitur; borborygmi, suspiratio, et excretio eopiosa urinæ

limpidæ adsunt. In Epilepsia, autem, omnes functiones maxime turbatæ, æger minime sentire potest; pupilla omnino immobilis est; et ex ore spuma copiosa profluit. Fatendum est tamen exempla nonnulla observantiæ medicorum accidere, in quibus diagnosis inter hos duos morbos vix vel ne vix quidem formari potest. Paroxysmum epilepticum non raro simulant nebulones. Hi, autem, oculis admota luce, vel tactu ferri incandescentis, perfacile detegi possunt.

DE PROGNOSI.

Epilepsiam rarissime subito lethalem esse antea dictum est. Si tamen accessiones diu perstent; si frequenter occurrent, et si corpus sit plethoricum, ne apoplexia inducatur, et sic æger e medio tollatur, causa est metuendi.

Quod ad salutem pertinet; si adsit proclivitas hæreditaria, si morbus post pubertatem remanserit, et si idem sit idiopathicus, prognosis quoque erit infaustissima.

Contra, si æger sit impuberis, vel, in exemplo fœminæ, si menstrua nondum prodiderint, causa est sperandi ut his mutationibus in corpore factis morbus sua sponte abiturus est.

SECTIO CADAVERUM.

Signa cadaveribus sectis quæ in plerisque morbis aliquid lucis de causis præbere solent, in morbo proposito adeo sunt diversa et incerta, ut idem hucusque parum illustraverint. Calvaria et ea inclusa aliquando, ut videretur, prorsus sana et immutata deteguntur. Alias calvaria et encephalon morbosa evidenter experta sunt. Tumores saccati basin cerebri comprimentes, utpote sæpe conspecti a Doctore Baillie, memorantur. Exostoses, serum effusum; tumores plexus choroidei; induratio glandulæ pituitariæ, ab aliis enarrantur. Forma cranii ipsius, in quibusdam exemplis, mutata invenitur. Bartholinus, in Anatomia Reformata de hac re loquens, exemplum memorat trium puerorum Neapolitanorum Epilepsia laborantium, quorum cadaveribus post mor-

tem sectis suturarum omnium figura modo insigni a solita aberrabant. " In figura deviabant" inquit, " suturæ capitis fatui cujusdam, quæ omnes quasi uno clivo exaltatæ eminebant ; quod in tribus pueris Neapoli epilepticis vidimus, præsertim coronali." DUMAS exemplum non absimilem memorat, ubi angulus facialis alteratus inveniebatur.

RATIO MEDENDI.

Curatio hujus morbi duplex est, nempe, 1. Accessionibus jam sævientibus mala lenienda sunt ; 2. Per intervalla radicitus tollendus est morbus.

1. Quod ad prius consilium (de quo paucis verbis primo agere volumus), oportet mitigare signa perstante paroxysmo. Ad hunc finem absolvendum, ægrum ex humo tollere itemque in situ nonnihil erecto locare debemus, omnes ligaturæ e collo quam celerrime summovendæ sunt. Ne æger nixibus sese lædat cavendum est ; et frustulum suberis, vel quodvis simile, inter maxillas, ne lingua mordeatur, ponendum est ; scrobiculum cordis, spinam dorsi, tempora et abdomen æthere

sulphurico, cum tinctura opii commisto, fricare; et aliquid rei volatilis naribus admovere, proderit. Sanguinem, perstante accessione, mittere rarissime oportet, et revera ob motus musculorum immanes, et ægre cohibendas, vix vel ne vix quidem perfici potest. Si tamen æger sit corporis pleni; et si paroxysmus diu perstet, et severus est, ne in apoplexiam incidat causa adest metuendi, et paucas uncias sanguinis vel venæsectione, vel arteriotomia, vel saltem cucurbitulis cruentis, detrahere oportet. Dom. JOHNSTONE, M. B. in opere "Medical Essays," inquit se venam cavam auriculumque dextram pene vacuas, et aortam ventriculamque sinistrum, sanguine impleta, et signa plethoræ arterialis et inanitionis venarum calvario patefacto, se invenisse memorat; quibus omnibus perpensis, venæsectionem, nunquam arteriotomiam autem, semper indicari opinatur.

Quomodo in intervallo curatio morbi recte perficiatur, scientia plena quod ad causas remotas maximi erit momenti; quoniam rationem medendi, prout sit symptomaticus aut idiopathicus, diversam adhibere debemus.

Cum, igitur, morbus symptomaticus esse vide-

tur, ad affectionem primariam tollendam nostrum procul dubio est conari. Si, verbi gratia, vermes vel acores in primis viis adesse causa est suspicandi, medicamenta quæ illos expellendi, hos obtundendi, viribus pollent, ægro pro re nata sunt porrigenda. Si dentitio affectui ortum præbet, gingivas incidere; alvum ope laxantium solutam servare oportet; balneum etiam calidum opitulabitur. Si alicujus evacuationis suppressio, menstruorum scilicet vel fluxus hæmorrhoidalis, prægressa fuerint, eadem hirudinibus adplicatis cum fomentis et catharticis ex aloë compositis est reducenda.

In illis morbi exemplis, quæ aura antecedit, ligatura parti unde sensus oritur imposita, ne accessio redeat, præcavere reperta est. Hoc et GALENO et AVICENNÆ perspectum fuisse videtur. Professor LEOFFLER, aliique inter medicos recentiores, hanc methodum cum eventu felici exercuerunt; et, si quando morbus habitu pravo oritur, ad consuetudinem abrumpendam magnopere inservire queat. Fatendum est, tamen, quædam nonnihil seria ligaturæ objici posse; hac enim aliquamdiu usurpata, et quodam casu postea relicta, accessio novas vires acquirit, imo vero, ex-

empla quibus ægri vehementiæ summæ signorum succubuerunt memoriæ prodantur. Auram ex eadem parte quæ etiam evidenter morbida est, semper oriri, in quibusdam exemplis reperta fuit. Epilepsia, rebus sic se habentibus, parte excisa ex toto sublata est; cum hæc ratio cita medendi tuto exercere potest, omnibus aliis procul dubio præstat; sed, siquando ut nonnunquam accidit, excisio non fieri potest, fonticulus aut vesicatorium perpetuum prope partem affectam constituendus est. Si aura per cursum nervi alicujus ad vitam partis non prorsus necessarii, tendat, hunc dividere oportet, si id fieri possit.

Epilepsiæ idiopathicæ curantibus, duo consilia sunt instituenda. 1. Causas excitantes evitare; 2. Causas abditas amovere.

De primo consilio pauca memorare sufficiet. Omnes causæ, quæ impetum sanguinis caput versus augeant, sedulo et religiose sunt evitandæ. Intemperantiam omnigenam paroxysmos iræ, aliosque animi motus abnormes, ægri est effugere, vitam tranquillam et subductam, quantum fieri potest, degere, et efficere ut functiones naturales integræ sint, victu idoneo aut medicamentis. Eo majoris interest ut hæ causæ occasionales eviten-

tur quod accessionibus crebris consuetudo formatur, quam maxime est difficile superare.

Ad consilium secundum absolvendum, plethoram et debilitatem tollere, et mobilitati præcavere, conandum est.

Plethora, ut FOTHERGILLIO videtur, causam frequentissimam Epilepsiæ præbet: "I had observed," inquit ille, "that the fits were more liable to return in the plenitude of health, that epileptics were often extremely incautious in respect of diet,—that children highly indulged were liable to the disease,—that in every other period of juveniscence, and in middle aged adults, if they were subject to the disease, it was when they had either committed excesses, or were by one means or other plethoric *."

Ad statum corporis hunc morbidum summovendum, victus lenis et parcus usurpandus; temeta omnigena sunt evitanda, carnes bovillæ, ovillæ, aut vitulinæ parce sumendæ, et nunquam ad satietatem comedendum est. Alvum adstrictam quoque ægri erit præcavere. Ad hunc fi-

---

* Vide FOTHERGILL.

nem alvus sæpe solicitanda erit, ope salium mediorum, cum cassia senna conjunctorum.

Missio sanguinis generalis remedium anceps est, et ni signa peculiaria adsint raro perficienda; tempore enim pergente in evacuationem quasi usu contractum evadit. HOFFMANNUS de puella ad venæsectionem bis quotannis assueta memorat; bis epilepsia aggressam fuisse, ob neglectum evacuationis solitæ. Cum accessio autem certis temporibus fit, paucæ unciæ sanguinis ex vena die ante paroxysmum expectatum missæ, ne idem redeat verisimile prohibebunt, venæsectio, igitur rebus sic se habentibus, non solum idonea sed ex toto præcipienda est.

Applicatio hirudinum vel cucurbitularum cum ferro eisdem incommodis ac venæsectio non est obnoxia, et ad illas morbo plethoram utpote causam agnoscente confugere oportet. Ulcus pone collum ope ferri incandescentis factum, remedium apud veteres usitatissimum fuisse videtur; et idem sub forma minus terribili, nempe setaceo, piso, vel vesicatorio aperto, pone nucham facto, hodie usurpatur.

Emetica apud veteres multum usitata fuisse videntur, et eadem in Epilepsia usurpari CEL-

sus suadet: "In morbo comitiali vomitus est necessarius." De utilitate earum, in plurimis exemplis, haud sine jure, hodie dubitatur.

Modus enim quo operantur, impetum sanguinis subitum et vehementem, qui per se ad accessionem inducendam satis valet, caput versus efficit. Ad accessionem tamen morbi prohibendam cum hic temporibus statis adoriri videtur, hæc multum opem conferre Swietenus demonstravit. Digitalis in nonnullis exemplis eventu felici usurpata fuit. Acidum hydrocyanicum eodem consilio, tempore Plinii junioris, inscie exhibitum fuisse apparet. "Amygdala amara," dicit Plinius, "cum amylo et menta comitialibus prosunt."

Siquando morbus mobilitatem pro cursu sua agnoscit, ratio medendi prorsus contraria exerceri debet. Æger diætam lautam cum vino, excessu omni tamen evitato, sumere debet: exercitatio justa sub divo, per ambulationem, equitationem, aut vectionem in curru, prout vires sinunt, quoque est præcipienda; balneum marinum, et navigatio in navigio aperto, tentanda sunt; et, si qua eadem prohibent, balneum sub forma imbrium sufficiatur.

Remedia in his exemplis sunt, tonica et antispasmodica ; tonica metallica plerumque usurpata sunt, præparata ex cupro, argento, zinco et arsenico. Inter cupri præparationes, ammoniaretum eminet. Exempla plurima hujus remedii feliciter ministrati a Doctore DUNCAN, in Commentariis Medicis, memorantur. Sub forma pilularum plerumque adhibetur: ex grani semisse ad grana quatuor vel quinque, aut quantum ventriculo insideat, pro dosi sumatur.

Nitras argenti in multis exemplis effectus faustissimos præbuit. Hoc remedium, sub forma solutionis in aqua distillata tutissime adhiberi videtur. Incommodum tamen unum usui ejus adest ; nimirum, quod diu usurpatum colorem nigrum cuti impertiat, et maculæ inde factæ diu post medicamentum omissum perstent. In dosi quartæ partis grani ad granum, vel etiam grana tria aut quatuor, sumi potest.

Arsenis potassæ modo cum fructu datur, et idem acidum, cum nickelio conjunctum, a quibusdam laudatum est.

Tonica e plantis deducta iis quæ effodiuntur quod ad vires suas cedunt ; inter illa cortex et folia mali aureæ, utpote utilia, olim magnam lau-

dem adepta sunt, nuper tamen nihili existimantur; cum paroxysmi fuerunt periodici, et in hominibus sanguine non plenis occurrerunt, cortex cinchonæ protinus ante accessionem copiose sumptus, multum prodesse reperitur.

Remediorum antispasmodicorum opium sine dubio viribus maximis pollet. Si, tamen, plethora adest, periculo haud caret. Cum morbus, contra, irritatione vel irritabilitate aucta nititur, illi pene soli multum confideri oportet.

Quod ad utilitatem valerianæ, castorei et gummi fœtidorum pertinet, hæc quatenus alvum deplent prodesse nunc convenit. FOTHERGILLIUS virtutes eorum sapori nauseanti concoctioni ciborum impedienti, et sic plethoræ prohibitæ, tribuendas esse opinatur.

Præter classes supradictas remedia alia innumera, ad nullam classem referenda, deinceps laudata fuere. CELSUS sanguinem gladiatoris, ARETÆUS jecur humanum, summis laudibus effert. Remedia plurima stercoracea in usum venerunt, et illecebræ atque exorcismi diversæ usurpatæ; cum istæ in aliquo modo profuerunt, aliquem motum insignem, veluti horroris, fastidii, vel metus animo incutiendo, procul dubio egerunt.

Hoc loco fortasse querci viscum memorare licebit, vires cujus olim prope certæ habebantur, et qui adhuc inter incolas plagarum quarundum Angliæ mediterranearum multum usurpatur, inter quos etiam mores adhuc valent, in quibus reliquias cultus fere religiosi hujus plantæ indagare possumus.

FINIS.